

## Sermo decimus quartus.

**A**C SUBOFEN inquit: magister dixisti non invidens, quod te decet, remuneret tibi Deus, ait Pythagoras. Et te Acsubofen liberet Deus ab invidia. *Et illa.* Sciatis Turba Sapientum quod sulphura sulphuribus continentur, & humiditas humiditate. *Respondit Turba:* Acsubofes iam invidi simile quid dixerunt: significa igitur, quid hæc humiditas est. *Et ille.* Cum venenum corpus penetrat invariabili colore, ipsum colorat, & nunquam dimittit corpus, animam quæ compar, sibi est, à se separari. De quo invidi dixerunt, persequente, fugienti obviante, ab eis fuga auffertur, & veritas sequitur. Et quod natura suum cœpit comparem, ut inimicum & se invicem continuerunt, eò quod ex sulphureo, sulphure mixto, preciosissimus fit color qui non variatur, nec ab igne fugit, quando anima in corporis intima infertur, ac corpus continet ac colorat. Dicta autem mea reiterabo in tyria coloratione. Accipe animal quod dicitur Kenckel quoniam tota eius aqua tyrius color est, & regite ipsum leui igne, ut consuetum est, donec terra fiat, in qua parum erit coloris. Uolentes autem, ad tyriam pervenire tinturam, accipite humiditatem quam eiecit illud & cum eo paulatim imponite in vase, & in eo imponite illam tinturam cuius color non uobis placuit. Deinde aquam coquite ipsum marina, donec arescat. Deinde illo humore imbuite, & paulatim deficcate & non desistatis imbuere ipsum, & coquere, & deficcare, donec toto suo humore imbuatur. Deinde per dies quosdam in suo vase dimittite, quo usq; preciosissimus color tyreus ei desuper exeat. Inspicite qualiter vobis describam regimen. Conficite ipsum Urina puerorum, & aqua maris, ac aqua munda permanente, antequam tingatur, & leui de coquite igne, donec nigredo pereat ac quiescat, & illud de facili confingatur. Decoquite ergo ipsum suo humore, donec vestiat ipsum rubetum colorem. Volentes autem ipsum in tyrium colorem ducere, imbuite ipsum aqua continua & miscete, prout scitis ei sufficere, apud visum, & miscete & ipsum aqua permanente, ita quod sufficiat, & decoquite donec rubigo aquam bibat. Deinde aqua maris quam parasti, abluite quæ est aqua calcis desiccata, & coquite donec suum bibat humorem, & facite hoc per dies post dies. Dico quod color inde vobis apparebit, cui nunquam similē tyrij fecerunt. Et si vultis ut sis altis altior quam fuerat, & audacior, ponite gumam